BIBLIA VETERIS TESTAMENTI (PARS)

Deutschland (Sachsen ?), 2. Hälfte 13. Jh. Seite 39r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25938
Copyright: Admont, Benediktinerstift



CXXVII

Facies et altare de lignis sethim. quod habebit quinque cubitos in longitudine et totidem in latitudine. idem quadrum. et tres cubitos in altitudine. Cornua autem per .iiii. angulos ex ipso erunt. et operies illud ere. Faciesque in usus eius lebetes ad suscipiendos cineres. et forcipes atque fascinulas et ignium receptacula. Omnia uasa ex ere fabricabis. craticulamque in modum retis eneam. per cuius .iiii. angulos erunt .iiii. anuli enei. quos pones subter aru lam altaris. Eritque craticula usque ad altaris medium. Facies et uectes altaris de lignis sethim duos. quos operies lamminis eneis. et induces per circulos. erunt que ex utroque latere altaris ad portandum. Non solidum sed inane et concauum intrinsecus facies illud sicut tibi in monte monstratum est. Facies et atrium tabernaculi in cuius plaga australi contra meridiem erunt tentoria. de bisso retorta. Centum cubitos unum latus tenebit in longitudine et columpnas .xx. cum basibus totidem eneis que capita cum celaturis suis habebunt argentea. Similiter in latere aquilonis per longum erunt tentoria .c. cubitorum columpne .xx. et bases enee. eiusdem numeri. et capita earum cum celaturis suis argentea. In latitudine uero atrii que respicit ad occidentem erunt tentoria. per .l. cubitos et columpne decem. bases que totidem. In ea quoque latitudine atrii que respicit ad orientem. .l. cubiti erunt. In quibus .xv. cubitorum tentoria lateri uni deputabuntur. columpneque tres et bases totidem. Et in latere altero erunt tentoria cubitos obtinentia .xv. columpnas tres. et bases totidem. In introitu uero atrii fiet tentorium cubitorum .xx. ex iacincto. et purpura. coccoque bis tincto et bisso retorta. opere plumario. columpnas habebit .iiii. cum basibus totidem. Omnes columpne atrii per circuitum uestite erunt argenteis lamminis capitibus argenteis et basibus eneis. In longitudine occupabit atrium cubitos .c. in latitudine .l. altitudo .v. cubitorum erit. Sietque de bysso retorta. et habebit bases eneas. Cuncta uasa tabernaculi